Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE PERSONIS RIGORI CAMBIALI SVBIECTIS,



QVAM

ADIVVANTE DEO

MAGNIFICO

ICTORVM ORDINE

CONSENTIENTE

IN ACADEMIA IVLIA

AD

CONSEQVENDOS DOCTORIS

IN VTROQVE IVRE HONORES

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

M. GEORG. WILH. IOECHER


LIPS.

D. XXX. OCTOBR. cIↄ Iↄcc XXV.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS

DE

PERSONIS RIGORI CAMBIALI SVBIECTIS.

§. I. Praefatio ad Lectorem, ubi ratio inſtituti exponitur.

§. II. Definitio & diviſio cambii.

§. III. De Iure cambiali in genere.

§. IV. Omnes, qui facultatem ſe obligandi habent, cambialiter obligantur.

§. V. Mercatores in genere.

§. VI. An minores?

§. VII. Mercatores minorennes tenentur.

A §.IIX.

Filiifamilias excipiuntur.
Nisi sunt simul mercatores.
De Academicis & studiosis.
Illustres personae ac Nobiles.
I. Milites & Rustici.
II. De Clericis & Canonicis.
V. Mulieres.
V. Quae mercatrix esse dicatur?
VI. An contra haeredes processus cambiales institui possit?
VII. De obligatione fideiussorum.
IX. De obligatione plurium in solidum inprimis sociorum, qui
IX. Exceptionibus nec ordinis neque divisionis contra tertium gaudent. Conclusio.

I. N. D.



I. N. D.

§. I.



Vm in conſcribendis diſſertationibus materia, quae in praxi uſum praeſtat, nunquam diſplicuit, noli mirari, me de his, qui rigori legum cambialium ſunt obnoxii, diſceptaturum eſſe. Argumentum quidem non incognitum, uberiori tamen diſquiſitione dignum. Crebriores controverſiae, quae mihi, ex quo tempore forum frequentavi, ſe obtulerunt, ad ſuſcipiendam hanc operam me induxerunt. Proceſſu

Praefatio ad lectorem ubi ratio instituti exponitur.

cambiali in iudicia nostra introducto inquirendum est, an ille contra omnes, qui literas cambiales creditoribus dederunt, & in quibuscunque negotiis locum habeat nec ne? Id quod cum indistincte asserere nequeamus, circa personas, & quae hoc processu conveniri possint, haeremus. Vi superioritatis territorialis quemvis principem & statum imperii legislatoriam exercere potestatem constat. Hinc accidit, ut quot sint regiones & civitates, tot fere Iura & ordinationes cambiales inveniantur. Si una Germaniae eademque convenientissima lex praescripta, quae pro unica in negotiis cambialibus agnosceretur norma, commercio certe consultius esset. — Inter tam ingentem ordinationum copiam non omnes eiusdem conditionis videmus, ut inter se conveniant. Vt unicum modo exemplum afferam: Ius Brunsvicense mulieres sive mercaturam exerceant, sive non, rigori cambiali subiicit: (a) Alia est Iuris Saxonici dispositio, ubi solum mercatrices literis cambialibus se obstringendi facultatem habent.(b) Enimvero, quantum institutum patiatur, notiores ordinationes pluribus quidem inter se conferam, de eo tamen, quid in patria Saxonia Electorali, ubi multa per recentiora mandata & noviorem modi

in

in foro procedendi praescriptionem mutata esse constat, iuris sit, maxime solicitus ero.

(a) ORD. CAMB. BRVNSV. §.XVI.
(b) *Leipziger Wechsel-Ordnung.* d. a. 1682. §. II.

§. II.

De hominibus autem Iuri cambiali subiectis acturi, quid cambium, quae natura Iuris & processus cambialis, & quae sint denique personae, videbimus. Cambium a vetusto vocabolo cambire & campsare, i. e. permutare plerumque derivatur, & Longobardis, Gothisque originem debere dicitur. (a) Graecis κόλλυβος, Gallis change & Germanis *Wechsel* exprimitur. Duplicem habet significatum: Alter negotium & contractum, alter literas & obligationem cambialem denotat. In priori est contractus, quo pecunia accipitur, ut alia secundum modum cambialem restituatur; & dividitur in proprium, ubi dator literarum accepta pecunia certam summam refundere, se obstringit, & alienum s. locale, quo pecunia ita commutatur, ut alio in loco pro pecunia aut re simili soluta vel promissa conveniens summa accedente regulariter mercede provisionali *provision oder Wechsel-Geld* exsolvatur. Ad quam vero Juris Romani contra- *Definitio & divisio Cambii.*

A 3 ctnum

ctuum speciem contractus cambialis sit referendus, frustra disceptari solet. Nam in Jure Romano civili nulla cambii fit mentio, sed hoc, gentium usu exigente, moribus praesertim Germanorum introductum. Negotium cambiale consensu superstruitur: quid autem opus est, ut illud consensualibus contractibus annumeretur, siquidem omnia pacta deliberato de re utili inita moderno Jure vim stipulationis & alternativae obligationis habent. Ad perfectionem & probationem huius contractus formantur literae cambiales, in quibus vocabulum *Wechsel* necessario requiritur, quo neglecto, licet reliqua adsint requisita, suo tamen effectu destituuntur, (b) & in naturam simplicis obligationis & chirographi transeunt, ita ut ne quidem executive ob deficientem debendi causam agi queat, id quod autem in Saxonia Electorali novissime immutatum fuit. (c)

(a) BERGER. in Suppl. Elect. proc. Execut. Posit, 1. Originem Cambii pecuniarii ab eiectis ex Italia GIBELLINIS in Italia, & in Gallia ab exinde a DAGOBERTO pulsis iudaeis deducit SAVARY pag. 223.

(b) Conf. RIVINVS ad Ord. Pr. Sax. T. 25. En. 22. p. 81.

(c) Vid. Append. Recent. Ord. Proc. Sax. §. V.

§. III.

§. III.

De Iure Cambiali in genere.

Ius cambiale eſt pars Iuris humani eiusdemque civilis, ſuamque origini cambiorum debet originem. Nam introducta ſemel inter mercatores negotiatione cambiali legibus opus fuit, quibus ea firmanda erat. Sicut autem rudis atque indigeſta edictorum moles coaluit, ut multi ICtorum ſuperiori tempore ab accurata illorum conſignationn & exacta huius Iuris cultura deterrerentur, ita noviores operae pretium duxerunt, ut iſtud ſtudium in certae ſcientiae formam redigerent, de quo ſane inter alios viros CL. König. Lvdovici & Franckivs bene meriti fuerunt. Extant igitur certum ius, quod cambiale dicimus, & leges, quæ nihil aliud ſunt, quam norma a ſuperiori praeſcripta, ſecundum quam in negotiis cambialibus iudicari debet. Inde naſcitur rigor proceſſus cambialis, qui in eo conſiſtit, quod debitor ſ. reus, antegreſſa literarum cambialium recognitione, tam diu in cuſtodia detineatur, quamdiu creditori ſuo per ſolutionem ſortis, uſurarum, atque expenſarum non ſatisfecerit. Et differt maxime a proceſſu executivo ratione obligationis ad carceres, quae ſi non habeat locum, modus procedendi non eſt cambialis, ſed executivus,

tivus, licet nonnulli diſtinguere velint inter rigidiorem, ubi debitor ad exſolutionem arreſto perſonali adigi poſſet, & leniorem, cum paratiſſima non quidem in perſonam debitoris tamen in eius bona daretur executio. Sed ita etiam executive procedi ſolet.

§. IV

Quidlibet, qui facultatem ſe obligandi habet, cambialiter obligatur.

Quid ſit rigor cambialis ex hactenus dictis conſtat. In quasnam vero perſonas ille cadat, de eo pluribus nunc videbimus. Commendatur hic regula generalis, quod quicunque facultatem ſe obligandi vel debitum contrahendi habet, is quoque ſe cambialiter obſtringere poſſit, locum tenet, quæ tamen ſuis exceptionibus, quae infra proferentur, non eſt deſtituta. Vti vero omnes ſe obligare poſſunt, qui nec natura, ut furioſi, muti & ſurdi, neque lege, ut prodigi impediuntur: (a) ita omnes cambiales ſcribunt literas, ut efficaciter conveniri ex iis queant, niſi tale obſtat impedimentum. Alias potiſſimum in commodum rei mercatoriæ cambia ſunt introducta. Quibus tamen mercatores non ſolum utuntur, ſed perſpecta eorum utilitate aliis quoque a mercatura alienis libertas cambialiter ſe obligandi indulta fuit (b)

(a) l. 40.

(a) l. 40. ff. d. R. I.
(b) Conf. BARTHII Hodeg. forens p. 723. & 670. & LVDOVICI *Einleituug zum Wechsel-Procesſe* Cap. I. §. 3. p. 2.

§. V.

Nullum eſt dubium, quin mercatores rigorem cambialem ſentire debeant. (a) Primitus enim cambia inter illos invaluerunt, legibusque durioribus firmata fuerunt. Nam ut commercia promoverentur, fides ſervaretur, magisque augeretur, ut negotiantes ſuam in promtu haberent peccuniam, quibus ſibi merces comparare, & lucrum captare poſſent, per rigorem cambialem iis proſpectum eſt, cuius auxilio moroſi debitores facilius coercentur, ut metu carceris ſuis ſatisfaciant creditoribus, nec aere alieno ſe obruant. (b) Quemadmodum negotiantes per multifariam negotii cambialis naturam mox traſſantes, mox indoſſantes, mox acceptantes dicuntur: ita quomodo ſinguli teneantur, peculiari opus eſſet tractatione; ſed interim cupidum Lectorem ad Auctores, qui de hac re prolixius egerunt, remittimus. (c) *Mercatores ingenere.*

(a) Vid. *Churfürſtl. Sächſ. erneuertes Marckt*-Reſcript de a. 1660. ubi legitur: *Daß hinführo unter Kauff- und Handelsleuten in bekäntlichen oder* in continenti *erweiß-*

erweißlichen Schulden der Debitor *ohne Verstattung einiger Bürgerlichem oder Sächsischen Frist auf Ansuchung des Gläubigers baare Zahlung leisten, oder annehmliche Versicherung und Gestalt machen. Im fall er aber deren keines vermöchte, alsobald in Gehorsam gehen, und darinnen so lange verbleiben soll, bis er sich mit seinen* Creditoribus *abgefunden.* Et verba subsequentia: *Und die Kauffleute nochmahls dahin halten, daß sie in Wechsel und andern bekäntlichen oder* in continentien *weißlichen Handels-Schulden jederzeit in Person vor Gerichte erscheinen, und biß die baare Bezahlung oder annehmliche Versicherung geleistet, sich in Gehorsam einstellen müssen.* It. ORD. CAMB. LIPS. de a. 1682. §. 51. *Ob zwar Wechsel Brieffe welche zu Beförderung der Handlung erfunden und eingeführt, vornehmlich Kauff-und Handelsleute angehen.*

(b) Vid. LUDOVICI *Einleitung zum Wechsel* Proc. Cap. I. §. 2. p. 2. D. BARTHII Hodeg. for. Cap. IV. proc. camb. §. III. p. 670 & §. IX. p. 722. FRANCK. in institut. jur. camb. Lect. I. p. 115.

(c) 1) De trassantibus conf. DN. BARTH. in Hodeg. for. p. 699. & 703. sq. ORD. CAMB. LIPS. §. 6. KOENIG ad ord. Lips. annot. I. p. 21. Magnif. MENKENIUS in Dips. proc. I. §. 58. & theor. ac prax. pandect. L. XIX. tit. VI. §. 14. MEVIUS P. IX. Dec. 132. BOCKEN. de camb. ILL. BERGER. decis. 226. n. 9. NEUMAN a PUCHOLTZ de camb.

2) De

2) De indoſſantibus v. Dn. Griebneri Princ. proc. L. II. c. 5. §. 9. Ord. Camb. Lips. §. 19. Ill. Berger. in Elect. Diſc. for. p. 1171. & ſupplem. P. II. p. 123. ſq. Barthii. Hodeg. for. p. 717. ſq.
3) De acceptantibus v. Dn. Lvdovici l. c. p. 16. & 17. Heydiger *Einleitung zum W. R.* c. VIII. p. 40. Magn. D. Menck. theor. & prax. pand. p. 605. Ord. Camb. Lips. §. 13. 20. 34. Frank. de adimpl. liter. camb. honor. cauſ. §. 26. Eiusdem Inſtit. L. I. Sect. IV. Tit. 12.

§. VI.

Obligationem cum minoribus absque curatoris conſenſu initam, non bene ſibi conſtare, cumprimis quoties in eorum incommodum detorqueri poſſit, ubi in integrum ex capite laeſionis reſtituuntur, (a) plus ſatis liquet. Hinc facile iudicabis, quodnam robur literis cambiaiibus ineſſe poſſit a minoribus conſcriptis. (b) Scilicet vix aliud, quam ut contra has pro renata in integrum reſtituantur. (c) Sed quaeritur, ſi curatoris conſenſus per ſub ſignationem literarum cambialium elicitus acceſſerit, nec laeſio intervenerit, utrum minores iure cambiali efficaciter obſtringantur, nec ne? id quod indiſtincte nec aſſeri, nec negari poteſt. Vbi ius cambiale Guelferbytanum & *An minores?*

B 2 Ham-

Hamburgense receptum est, minores aresto personali non afficiuntur. (d) In terris vero, quas ius cambiale Brandenb. Halberstad. & Magdeburg. agnoscunt, recte conveniuntur, (e) ubi tamen consensus curatorum & parentum requiritur. E contrario in Saxonia Electorali non solum minoribus anno aetatis vigesimo primo, sed etiam iis, qui licet maiorennes, annum tamen vigesimum quintum nondum absolverunt, potestas dandi literas cambiales nuperrime ademta fuit, adeo ut creditor nullam ex iis habeat actionem, vel si pecunia exsoluta fuit, ad eius tanquam indebiti restitutionem cogi, & pro re nata insuper mulctari possit: (f) cum vero debitores veram ætatem mentiti sunt, executio in eorum personam cessat, bene tamen executive conveniuntur.

(a) l. 44. ff. de minor. l. 23. ff. Si tut. vel curat. interv.

(b) Conf. MEVIUS ad ius Lub. l. 3. t. 6. art. 21.

(c) Conf. REMER de vero Oblig. valor. Sect. II. c. 13. §. 14.

(d) ORD. CAMB. GUELFERB. art. V. ORD. HAMB. art. XLIX. Conf. ORD. WRATISLAV. noviss. art. 1.

(e) IUS. CAMB. BRANDENB. art. VII. HALBERSTAD. & MAGDEBURG. art. V.

(f) Per MANDAT. NOVISS. ELECT. SAX. de anno 1724. *von Aufborgen iunger Leute.* Confer, BARTHII HODEG. for. Cap. IV. p. 729.

§. VII.

§. VII.

Neque tamen lapſus lubricae aetatis ubique mercatores tuetur contra rigidiorem iuris cambialis executionem, ita ut ſi in hoc negotio etiam enormiter laeſi fuerint, eam remorari, aut in reſtitutione in integrum remedium quaerere nequeant. (a) Hinc regulae ICtorum: *mercatores approbatos & in albo mercatorum deſcriptos in negotio mercaturae reſtitutionem non habere* (b) Ratio ſtatim in promtu eſt, nimirum, favor commercii, qui ut ita dicam, minores reddit maiores. In provinciis Guelferbytanis & Brandemburgicis (c) rigorem cambialem mercatores poſt annum demum XXI. ſentiunt. Galli aetatis vigeſimo finito obligantur; (d) quem etiam terminum ordinatio Halberſtad. & Magdeburg. praefigit. (e) In ordinatione cambial. Lipſienſi nullum diſcrimen invenimus, mercatores ſive ſint maiorennitati proximi, ſive non, utpote quae expreſſe ita diſponit. §. 2. *Nachdem &c. Allermaſſen auch die, ſo das Ein und Zwantzigſte Iahr ihres alters noch nicht erfüllet, wenn ſie eigene Handlung treiben, und ſich darinne zu etwas verbinden, daſſelbe allerdings zu halten ſchuldig, und dagegen mit der reſtitution in integrum nicht zu hören;* Ad quam diſpoſitionem *Mercatores minorennes tenentur.*

 caſte-

casteria semper in pronunciando respiciunt, ut Scabin. Lips. mens. Ian. 1693. responderunt? *daß Beklagten die iura minorum nicht zu statten kommen, weil derselbe ein Handelsmann, und nunmehr durch seine Handlung in Schaden gerathen oder verkürtzet worden, sich deren nicht zu erfreuen hat.* Nec hoc jus in Elect. Saxon. sereniss. mandato *von auffborgen iunger Leute* modo allegato mutatum fuit, utpote quod diserte mercaturam exercentes excipit verbis, illisque cum plenissimam libertatem relinquit, tum quoque paratissimam contra eos executionem praecipit, (f) cum quo plurimae aliae ordinationes consentiunt. (g)

(a) Vid. LVDOVICI introd. in proc. Camb. C. 1. §. 14. p. 13. REMER. d. ver. oblig. val. Sect. II. c. 13. §. 14.

(b) BRVNNEM. in Comm. ad l. 1. C. qui & adversus quos.

(c) ORD. BRAND. art. VI. & GVELFERB. art. V.

(d) Per. ORD. MERCAT. LVDOV. XIV. tit. I. art. VI. & III.

(e) IVR. CAMB. art. V.

(f) §. I. & V.

(g) IVS CAMB. AVSTR. art. VII. PRVSS. art XXXV. Gedanens. art. XXXIX. WRATISLAV. noviss. art. I.

§. IIX.

§. IIX.

Filiifamilias omnes contractus vivo, vel dissentiente patre (a) celebrant, suspensa licet in mortem patris executione; (b) si vero proprium habeant peculium, in illud datur executio. (c) Excipitur mutuum, (d) quod si contractum fuerit, exceptio SCti Macedoniani creditoribus obstat. (e) Quoties literae propriae cambiales exarantur, toties mutuum intercessisse praesumitur. Hac de causa filiifamilias in iudicio cambiali absque successu conveniuntur. Nec quicquam prodest, quod alius contractus fingatur, si ab initio in fraudem SCti initus fuerit. (f) Vnde dicitur mutuum palliatum. Huc pertinet quidem cambium manuale, id quod vel verba: *Des Wehrts bin ich wohl vergnüget* indicant, & quod sit causa externa cambium, interna mutuum, Senatus Viteberg. ad interrogat praefecti Liben. m. Oct. 1708. respondit. (g) Hinc non video quomodo cum B. TITIO statui possit, filiumfamilias cambia recte contrahere iis locis, ubi nulla peculiaris extaret prohibitio. (h) Ea non opus esse videtur, cum iure civili satis cautum sit, ne mutuum, cuiusmodi, ut supra demonstravimus, est plerumque cambium, a filiisfamilias cum effectu contrahatur. Non desunt *Filiifamilias excipiuntur.*

vero

vero leges expreſſae, quibus ii a dandis litteris cambialibus interdicuntur. Inter illas declaratio Reſcripti cambialis, ſub dato d. 19. Martii 1680. *Wegen der Vniverſitäts-Verwandten* (i) Sereniſſimi Saxoniae Electoris, & ex hac verba ſubſequentia notatu ſunt digna: *Aber denen*, inquit ſummus legislator, *ſo noch* ſub patria poteſtate *ſeyn, ſol keines weges verſtattet werden, auf ſolche Art zu* negotiir*en, und Wechſel-Brieffe von ſich zu ſtellen, ſondern es bleibet dieſſfals bey dem angezogenen* compactato, *dahero dann, wo fern die Krahmer, Peruquenmacher, und andere ſolcher Leute ein mehrers borgen, und zu dem Ende Wechſel-Brieffe von ihnen nehmen, die Eltern zu deren Bezahlung wieder ihren wiſſen nicht anzuhalten, ſondern bey dem* SCto Macedon. *gebührend zu ſchützen;* Quae diſpoſitio deinde per peculiare adhuc edictum Electorale confirmata, ſub dato d. 29. Dec. 1718. emanatum, & in eo magis aucta fuit, ut quamvis iusiurandum ſemel praeſtitum, ſecundum notiſſimum canonem, quoad ſalva vita aeterna fieri poſſit, ſervari debeat, nihilominus clauſula iuratoria literis ſubiuncta nullum ſortiatur alium effectum, quam ut in autores pœna arbitraria ſtatuenda ſit. Et haec omnia mandato noviſſimo *Von Auffbor-*

gen

gen junger Leute de anno 1724. §. 1. (k) renovata ſunt. In aliis ditionibus eadem fere ſancita proſtant, ut e. g. Ordinatio Gedanenſis poteſtatem ſe cambialiter obligandi ſub patria poteſtate hærentibus denegat, addita ratione, quod cambium ſit mutuum palliatum. (l)

(a) §. 6. I. d. inut. ſtip. l. 39. ff. de O. & A.
(b) l. 2. ff. quod cum eo.
(c) l. 2. ff. ad SC. Maced. l. 16. ff. d. noxal. act. l. 3. §. 11. ff. d. pecul.
(d) l. 1. & 11. ff. d. SCt. Maced.
(e) l. 7. §. 3. ff. d. SC. Maced.
(f) conf. GODOFR. LVD. MENCK. diſſ. d. uſ. forenſi SCt. Maced. in Germ. REMER. d. ver. obligat. valor. ſect. II. cap. 13. §. 18.
(g) ILL. BERGER in Oecon. Iuris n. 577. l. 3. tit. 2.
(h) In iure privat. L. X. c. V. §. X.
(i) ap. KOENIG in Append. ORD. CAMB. LIPS. ſub lit. M. p. 39.
(k) conf. DICEL. d. camb. traſſat. §. VI.
(l) art. XXXIX.

§. IX.

Qui exercet mercaturam, adhuc manet in patria poteſtate, cum ab ea nihil praeter emancipationem formalem (a) & virtualem peculiaris ni- *Niſi ſunt ſimul mercatores.*

C mirum

mirum Oeconomiae institutionem (b) filium maiorennem ordinarie liberet. Favor tamen commercii effecit, ut filius familias taberna mercatoria instructus ratione negotiationis hodie emancipatus, teste Hahnio (c) censeatur. Immo tunc ne quidem beneficio SCti Macedon. potest, si modo parens in negotiationem consenserit, nec contradixerit: *nam* ut cum lege loquamur, *si scit pater, eum negotiari, etiam hoc permisisse videtur, si non nominatim prohibuit merces accipere.* (d) In nonnullis locis consuetudinem invaluisse, quod pater filium, simulac negotiori incepit, coram iudicio e sua potestate dimittat, STRYKIVS refert. (e) Itaque nullum est dubium, quin negotium cambiale inire possit, cum illud multum commoditatis atque utilitatis mercantibus afferat. Quo casu exceptione SCti Macedoniani non auditur, si ex eo in iudicium vocetur, cum ratione, ut iam dixi, professionis mercatoriae pro patre familias habeatur. (f) Idque imprimis Iure Sax. Elect. firmum est, quo cambia valide contrahit & inde eorum rigorem experitur. (g) Quod item interris Magdeburg. observari deprehendimus. (h)

(a) §. 6. I. quib. mod. pat. L. f. C. d. emanc. lib.
(b) v. Nov. Leon. 35. P. 2. Constit. Elect. Sax. 10.

(c)Ad

(c) Ad WESENBEC. Parat. ff. XLXV. T. I. n. 4.
(d) l. 7. §. 2. ff. de SC. Macedon.
(e) In Vſ. modern. ff. de tribut. act. §. 1. in fin.
(f) V. MARCQVARD. de iure Merc. L. 3. c. 8. n. 60. D. ZIPFEL *von Wechſel-Briefen und dero Vſancen* in append.
(g) Conf. P. 2. Conſt. Elect. 10. Mandat. Elect. d. a. 1724. *von Aufborgen &c.*
(h) ORD. CAMB. MAGDEB. art. V.

§. X.

De Academicis & ſtudioſis.

Academicos, aliosque eruditos, itemque gradu Academico exornatos facultatem habere, dandi literas cambiales, per generalem fere omnium legum diſpoſitiones ſtatuunt (a) DD., & quidem recte; Sed quoque IVS CAMB. BRANDENB. (b) NVMBVRGENSE, (c) BRVNSVICENSE (d) eruditos expreſſe includit. Lex Magdeburg. cambialis Profeſſorum in Academia Hallenſi, & aliorum Academicorum facit mentionem. Singulis ſuum tribuit Ius Saxon. Electorale. Ibi enim Academicis (e) & gradu Academico decoratis (f) peculiaribus reſcriptis proſpectum eſt. Quod ad eos, qui in Academiis ſtudiorum cauſa verſantur, attinet, illis quidem olim liberum fuit, libere mutuum contrahere, & ſe cambialiter devinctos reddere.

C 2 Quod

Quod ſane commodum fuit ex regionibus diſſitis accedentibus, qui ſaepius pecuniam ad ſumtus vitae & ſtudiorum requiſitam diu expectant. Poſtquam autem haec privilegia in abuſum abierunt, hac de cauſa Princeps alterum reſtringere, alterum prorſus revocare commotus fuit, ut occaſio in parentum facultates aut propria bona graſſandi itemque foeneratoribus ex aliena iactura lucrum captantibus praeſcinderetur, & ne tempus, quod artibus liberalioribus conſecratum ab eiusmodi moroſis debitoribus cambialibus in carcere & cuſtodia tereretur. Hinc Mandata in Sax. Elect. emanata, conſtat, quibus ita cavetur, ut ſtudioſi ſive ſint minorennes ſive maiorennes, literas cambiales dare nequeant, ſi vero qui eas acciperent, ab illis nulla actio nequidem, ut ex nudo Chirographo inſtituta admittatur. (g)

(a) In Ord. Camb. Lips. §1. in verbis *hohe und nidere Perſohnen*; & in Prvss. d. 1684. §. 35. ſub verb: *Alle Perſohnen, ſie mögen ſeyn von was* Condition *ſie wollen.* Gedan. §. 38.

(b) d. 1709. Art. IV.

(c) de ann. 1693.

(d) Art. XVI.

(e) Vid. Rescript. Elect. d. a. 1671. ap. Koenig. ad Ord. Camb. Lips. p. 149.

(f) Re-

(f) RESCRIPT. ELECT. de ann. 1680. ap. D. KOENIG. d. l. p. 152. conf. FLECK in biblioth. iur. L. III. T. V. n. 9.

(g) Vid. RESCRIPT. REG. de 1718. & de a. 1724.

§. XI.

Illustres personae ac nobiles.

Vtrum campsorem agere sit species mercaturae, est quaestio, quae vulgo ventilatur, eum in finem, ut libertas cambiale negotium exercendi iis vindicetur, qui alias negotiari iure civili prohibentur. (a) Sed ea disquisitione supersedere possumus, dum hodie, cumprimis in Italia, Gallia, Batavia, &c. etiam ii mercantur, (b) quibus hoc olim contemtui erat. (c) Hinc illustres personae, ut principes, Comites, Barones, & nobiles duriori processus cambialis executioni eo nomine se subtrahere nequeunt, cum praesertim in legibus suo ordine diserte designentur. (d) Imo tristis experientia unum alterumve satis de hac veritate convincit.

(a) V. FRANCK. in Instit. IVR. CAMB. L. I. Sect. I. T. IX. p. 128.

(b) TIRAQVELL. de nobilit. C. 27. n. 13. MEV. Part. II. decis. 2. & 149. ZIPFEL. d. tesser. collybis. pag. 30. Conf. ORD. MERCAT. LIPS. Tit. III.

(c) e.g. Nobilibus l. 3. C. de commerc. & mercat. & militibus l. un. C. negoc. ne mil.

(d) V. Ivs Camb. Brandenb. Art. IV. Magdeb. Art. IV. Nvmbvrg. verb. *ferner sollen &c.* Brvnsv. Art. XXVI.

§. IIX.

Milites & Rustici.

Milites in eorum, qui rigorem cambialem experiuntur, numerum etiam referendi erunt. (a) In Saxonia Superiori expressum habemus mandatum regium, (b) quo illis sub poena arresti creditoribus cambialibus satisfacere iniungitur. Quanquam non negandum sit, quod multis in locis executio saepius differatur, & ut ita dicam, beneficium haeredum scilicet spatium deliberandi, nisi annum tamen intermenstruum concedatur, inprimis cum in expeditione, aut statione sua constituti sint. Si ex verbis ordinationum ius cambiale non solum superioris, sed etiam homines inferioris, imo infimae sortis stringat, non est quod rusticos eximamus. (c) Nec praxis huic opinioni contrariatur. Nam teste Magnif. Menkerio (d) Ordo Jurid. Lips. ita M. Ian. 1709. iudicavit. Aliud obtinet in ducatu Altenburgico, ubi processus cambialis contra cives vilioris conditionis, & rusticos exulavit. (e).

(a) Vid.

(a) Vid. ORD. CAMB. BRANDENB. Art. IV. MAGDEBVRG. Art. IV. Auftr. Art. VI. Conf. STRACH. de Mercat. part. III. num. 9. ENENKEL d. privil. milit. Lib. I. C. 4.

(b) Sub dato d. 30. April. 1699.

(c) Conf. LVDOV. *Einleitung zum Wechsel-Proceß.* p. 5.

(d) In theor. & praxi Pandect. p. 606.

(e) Vid. RESCRIPT. Frieder. Duc. Saxon. Gothan. d. a. 1697. apud KOENIG. p. 248.

§. XIII.

De Clericis & Canonicis.

Quamvis Clerici fub quorum cenfum tam Ecclefiae quam fcholae miniftros collocemus, negotiis fecularibus fe immifcere non debeant: (a) attamen apud Proteftantes ex literis cambialibus firmiter in pluribus locis obligantur. Id quod olim in Saxonia ex receffu comitiali Elect. d. 1676. ftricte obfervatum effe teftatur BERGER, (b) idemque exemplum de Clerico in perfonali arrefto recognitis cambialibus literis a Confiftorio detento affert. (c) Iam quaeritur, an perfona clericalis hac in caufa coram foro feculari fe fiftere debeat? Et hoc negatur, licet foro fuo privilegiato renunciaverit. (d) Cur igitur dubitant Dd? an Clerici literas cambii dare poffint & fi dederint, an inde valide

lide usque ad carceres obligentur. Sane nos asſerere non veremur, quod beneficia competentiae & ceſſionis alias Clero indultae in proceſſu cambiali nihil operentur, cum per huius naturam tales exceptiones haud admittuntur. Nec impedit, quod Clericus beneficio competentiae renunciare non poſſe dicatur, cuius vero omnino quaedam renunciatio ineſt obligationi cambiali. (e) Nam ſufficit nobis praxis contraria, nec id pontificii ipſi negant, obligationem ex Cambio oriundam eſſe efficacem. (f) Certe tamen ſatius eſſet, & Eccleſiae Chriſtianae magis proficuum, ſi uſus literarum cambialium Clericis plane interdiceretur, id quod nuper ſapienter admodum in Saxon. Elect. factum eſſe, oſtendit reſcriptum a. 1711. promulgatum, (g) vi cuius Paſtores, ludi moderatores, & templorum cuſtodes ſub poena ſuſpenſionis, immo remotionis prohibentur literas dare cambiales: ne ſcandalum excitaretur, vicini paſtores onere vices alienas gerendi nimis gravarentur, nec cura animarum praecipue negligeretur, quod in aegrotis facile accidere poſſet. Quodſi tamen de facto cambium creditoribus dederint, quod tanquam tale adhuc valeat, aſſerit Ill. Berger (h) additis rationibus, quoniam allega-

legatum rescriptum Clericis solum publicatum, cuius vero creditores ignari saepius: Insuper hanc legem non annullationem negotii, sed tantum Clericorum poenam continere. Verum miror, virum illustrem hanc opinionem amplexum esse, cum rescriptum supra memoratum, non solum Clericis, sed omnibus, quorum intereft, promulgatum fuerit, & ignorantia iuris neminem excuset, hoc clarae serenissimi legislatoris intentioni, itemque ipsis verbis: *der Wechsel-Brieff aber nicht mehr als ein* Chirographum *gelten soll;* adversaretur. Nec minus ius Guelferbytanum Clericos cambio dato ab aresto personali immunes reddit, (i) quam dispositionem tamen ad Canonicos ob cessantem legis rationem non extendi volunt. (k)

(a) C. 15. & 16. X. d. vit. & honestat. Cleric. Can. 2. 9. 10. dist. 88. Can. 3. 4. 9. causs. 14. quaest. 4. CONCIL. TRIDENT. sess. XXII. c. 1. d. reformat.

(b) Conf. Proc. Exec. th. 50.

(c) In Elect. disc. for. T. V. not. 1. p. 134.

(d) C. 12. X. d. for. compr. conf. MARTA de iurisdict. c. VII. p. 7. n. 38. seq.

(e) GONZALEZ ad c. 3. X. de solution.

D (f) Conf.

(f) Conf. LVCA in theatr. verit. & iuftit. T. X. de cambiis difc. 18. n. 8. & Dn. BÖHMER. in Iur. Eccl. Tom. II. L. III. T. 23. pag. 923.

(g) Apud KOENIG. in not. ad IVS CAMB. LIPS. in app. pag. 32.

(h) In Oecon. Iuris L. IV. T. XXX. p. 1173.

(i) Art. VI.

(k) IVS GVELFERB. art. II. REMER de ver. oblig. valor. Sect. II. c. XXII. §. 20.

§. XIV.

Mulieres. Circa mulieres diftincte procedendum, quod ea non ubique nec eodem modo cambiis obligantur. Quid iuris fit in Saxonia Electorali, primo hic loco ponendum effe videtur, cum de hoc argumento ibidem maxime fuperiori feculo inter collegia difceptatum fit. Cui controverfiae anfam dedit Refcriptum d. a. 1621. ubi nulla fexus fequioris facta mentio. Proinde illum Scabini Lipfienfes exemerunt. Contra ea ICti Vitebergenfes in contrariam difceflerunt fententiam. Vtraque opinio a Sereniff. Electore approbata. Pofterior tamen locum demum obtinuit, & fancitum fuit, ut impofterum omnes foeminae, five mer-

mercatrices essent, sive non essent, cambialiter obligari possent. (a) In comitiis Electoralibus an. 1676. habitis hac lege iterum abrogata mercatrices solum iuri cambiali subiiciebantur, (b) quod in ordinatione Lipsiensi cambiali quoque cautum invenimus. (c) In hoc convenit Ius Numburgense. (d) In Prussia uxoribus, quae negotiis maritorum vacant, cambialem obligationem inire permittitur. (e) In terris Brandenburgicis mulieres cuiuslibet conditionis iuri cambiali sunt obnoxiae, ea tamen limitatione, ut cum curatore aut marito literas subsignare debeant. (f) Secundum ius cambiale Brunsvicense nullum discrimen faciendum inter mulieres, nec opus est curatorum praesentia, cum sine illis alia negotia valide expediant. Id quidem verum & in eo omnes fere ordinationes cambiales congruas esse constat, foeminam, quando mercaturae operam dare incipit, cambiali negotiatione uti, & ex ea conveniri posse, adeo ut in pluribus locis non solum sine curatore & marito, neque de suis beneficiis in iure concessis certiores factae efficaciter contrahere possint. Imo si in cambiali negotio pro aliis suam interponunt fidem, SCto Velleiano, cui li-

cet non ſit renunciatum, non fruuntur, (g) & iuſte incarcerari poſſunt. (h) Sed hanc foeminarum obligationem multi ex profeſſo & fuſius perluſtrarunt. (i)

(a) Per RESCRIPT. EL. d. 1674. Conf. RIVINI Specim. except. for. c. VIII. n. 4. ſeq.

(b) Apud KOENIG append. ad ORD. LIPS. CAMB. pag. 165.

(c) Art. II.

(d) In verbis : *Gefilt denn auch &c.*

(e) Art. XXXV.

(f) Conf. LVDOVICI *Einl.* p. 10. & FRANCK inſtit. iur. camb. p. 119.

(g) Vid. ORD. CAMB. LIPS. §. II.

(h) Sic SCAB. LIPS. 1673. m. Decembr. reſpond. refert D. ZIPFEL *vom Wechſel-Recht* p. 75. Confer BERG. Elect. Diſc. for. p. 134.

(i) Inter quos praecipue legi merentur Dn. LVDOVICI l. c. Cap. I. §. 7. ſeq. & eius diſſ. d. mul. camb. FRANCK it. l. c. BARTHIVS in Hodeg. forenſ. p. 673.

§. XV.

Quae mercatrix eſſe dicatur? Attamen paucis adhuc videbimus, quaenam femina nomine mercatricis veniat? Quae enim mer-

mercatori nupta est, (a) marito operam praestat in negotiatione, eo absente contrahit, & in liberis mercatoriis credita & debita consignat, non pro ea, (b) sed pro institrice (c) habenda est. Inita vero cum marito societate, *dass sie als* Consortin *mit ihrem Ehemann handelt und sich in solcher* Qualitaet *unterschreibet*, simul cum suo socio obligatur, quod in locis, ubi, ut in Saxonia, marito ususfructus paraphernalium vindicatur, etiam fieri potest, collatione bonorum receptitiorum. (d) Nec per dationem literarum cambialium solum evadit mercatrix, cum negotiatio extra ordinem semel suscepta non adimat muliebria privilegia: (e) Sed vel per se tabernam publicam habet, vel mensae campsoriae, ex professo assidet (f) etsi maritum habeat literatum. (g)

(a) Exceptio est in Electorata BRANDENB. & ducatu MAGDEBVRG. conf. LVDOVICI de mul. camb. §. 24.

(b) Quod secus est inditionibus, ubi juxta ORD. CAMB. PRVSS. art. XXXV. GEDAN. art. XXXIIX. WRATISLAV. art. II. iudicatur.

(c) MARPERGER quæstion. d. mercatur p. 96.

(d) Dissentit Ill. BERGER Elect. proc. Execut. th. 50. p. 57.

p. 57. & Frank. in instit. jur. camb. L. I. Sect. 1. l.c. p. 122.

(e) Ludovici Differt. d. mul. camb. §. 2. Marperger d. l. p 59.

(f) Ord. Camb. Lips. §. 2.

(g) Vid. D. Zipfel. de tesser. collyb. sect. I. pag. 39.

§. XVI.

An contra haeredes processus cambialis institui possit?

Cum haereditas non modo cum omnibus iuribus, sed etiam cum quibuscunque oneribus devolvatur: singularis aditae haereditatis effectus est, quod omnes actiones per mortem antecessoris non exstinctae dentur contra haeredem. (a) Nam ille personam representat defuncti. Ergo illum aes alienum a demortuo relictum solvere oportet saltem secundum vires hereditarias, si beneficio inventarii usus sit, ut processum quoque executivum evitare nequeat. (b) Et hoc quidem indubitatum. Alia vero est quaestio, an propter debitum cambiale haeres cambialiter iure conveniatur? Affirmatur iure Magdeburgico, (c) ubi debitorum cambialium haeredes instar parentum mortuorum aresto personali afficiuntur, neque spa-

ſpatium deliberandi annuum iis conceditur, niſi mediante inventario aut iurata ſpecificatione integram haereditatem absque mora repudient, & bonis cedant: eo in caſu ab Areſto liberantur, & ex ſuis facultatibus nihil exſolvere coguntur. Ita fere in foris Guelferbytanis (d) Halberſtadienſibus (e) & Gedanenſibus (f) etiam res ſeſe habet. Idem ius eſſe in Saxonia Dn. LVDOVICI ex ord. mercat. Lipſienſi (g) evincere mavult; ſed male, cum in ea ſolummodo agatur de ſpatio deliberandi, quod poſt obitum obaerati hominis inter octo hebdomades coarctatur, quo effluxo, nullaque declaratione haeredum facta, haereditas pro repudiata cenſetur, & curator ex officio conſtituitur. E contrario creditorem contra debitoris haeredes novimus cambialiter ibi non experiri, (h) adita vero haereditate realem in eius bona fieri executionem: (i) Neque tamen exceptio non numeratae pecuniae hic attendi ſolet. (k)

(a) L. 37. ff. d. acquir. vel omit. haered.

(b) Conf. BARTHII Hodeg. forenſ. p. 711.

(c) Art. IV.

(d) Art. IV.

(e) Art.

(e) Art. VI.

(f) Art. V.

(g) §. 23.

(h) Conf. Ill. BERGERVS E. D. F. tit. V. Obſ. 3. not. 3. p. 133. & in El. Proc. Exec. §. 10. n. 1. p. 58. Id: P. 1. Reſp. V. 287. p. 489. CARPZOV. *P.* II. conſt. El. 21. def. 10. BERLICH. P. II. concl. 27. n. 15.

(i) conf. BARTHII Hodeg. forenſ. p. 736.

(k) Dn. BERGER d. except. non num. pec. adv. camb. theſ. XVII.

§. XVII.

De obligatione fideiuſſorum.

Fideiuſſio in debitis cambialibus vel per avallum i. e. nudam nominis inſcriptionem, vel per integram extenſionem abſolvitur. Prior in Italia quam maxime uſitatus multis in aliis locis approbatur modus, eo cum effectu, ut fideiuſſor adſolutionem deficiente principali ſub metu incarcerationis adigatur. (a) Sed apud nos in Saxonia, cum vocabulum *Wechſell* in ſpecie requiſitum literarum eſſentiale conſtituat, eo omiſſo, non facile contra ſcriptorem huius avalli tam rigoſe proceditur, teſte Ill. BERGERO. (b) Quod ſi poſterius plena nimirum extenſio *nach Wechſell-Recht* facta

facta sit, & qui debitum cambiale in suam fidem receperunt, durissimam in suam personam executionem non aeque evitabunt. Sed quid eo casu, quem iam memoratus Dn. BERGER proponit, est statuendum? cum quidam ita simpliciter citra mentionem iuris cambialis intercessit, ea quidem ratione: *Obige Post bezahle, wenn die Schuldner manquiren.* Is certe iure cambiali non teneri potest, quanquam accessoria obligatio sequatur principalem, & fideiussor ad illam respexisse videatur. Sed in odiosis habemus strictissimam interpretationem, & fideiussio in se stricti est iuris. Nam licet fideiussor se arctius quam debitor principalis obstringere possit, in dubio tamen hoc non est praesumendum, sed potius pro obligatione leniori respondendum.

(a) De avallo vid. ORDIN. MERCATOR GALL. Tit. VI. art. 23. Auctor tractat. de commerc. terrestri ac maritimo. P. I. Tit. II. C. I. p. 132. sequ. SAVARY negotiator perfect. P. I. L. III. C. VIII. PHOONSEN. styl. cambial. Amstelod. Cap. XXII. posit. II. CAPIT. CAMB. BONON. Cap. XV. Capit. feriar. VESVNTIN. Cap. XVII. IVS CAMB. GVELFERBYT. art. II. arg. l. 3. ff. de legat. 1. l. 2.

E ff. de

ff. de condict. indeb. Conf. MATTH. BODE d. camb. thes. XII.

(b) Elect. proc. exec. Th. 52. iung. eorundem Elect. supplem. p. 4. itemque supplem. E. D. F. p. 1. p. 60. & 63.

(c) In Elect. proc. exec. Th. 51. p. 59.

§. XIIX.

Plures etiam in solidum tenentur, imprimis sociis.

In correali cambiorum obligatione plures in solidum quoque exiguntur, cum quilibet suum nomen separatim subscripsit, & ita uterque se principalem constituit debitorem. Saepius accidit in societatibus, ut socius literas cambiales subiecto suo, & alterius aut societatis nomine dare soleat. Quod si inscio vel plane invito socio factum fuerit, oritur quaestio, num alter eius facto obstringatur? In affirmativam plurimi ICtorum descenderunt sententiam usu fori suffulti. Neque praegnantes desunt rationes: nam correi cambiales unam personam constituunt: (a) Alteralterius per sonam repraesentat, & pro ea aeque principaliter creditori obligatur. Iniquum quidem esse videtur alteri inscio aut renitenti, praecipue cum in contractu societatis consensus utriusque stipulatus fuerit, oliga-

tionem

tionem imponi. Sed haec omnia effectum suum praestant in controversiis sociorum inter se invicem obortis, non vero respectu tertii, qui cum societate, non autem cum singulis rem habuit, adeoque iure suo contra utrumque quaesita nequaquam privandus est. Accedit, quod socio integrum sit, nomine societatis aes alienum contrahere. (b) Si necessaria in causis cambialibus omnium consortium saepe in remotissimis locis versantium praesentia & auctoritas esset, quam confusionem quamque remoram pateretur quaeso cursus commerciorum? Hinc consulendum est iis, qui tantummodo in certo negotio societatem coeperunt, ut de conditionibus & casibus in contractu exceptis suos negotiantes reddant certiores: Alias sibi suaeque negligentiae imputent, si ex perfidia socii non exiguum capiunt detrimentum. Ex his, quae modo in medium prolata sunt, casus sequens facili decidi potest opera: Nimirum duo mercatores societatem nectunt, & creditoribus in securitatem suae pecuniae mutuo datae literas cambiales exporrigunt: Interim antequam terminus solutionis extiterit, societas per separationem dissolvitur. Post haec

E 2 alter

alter de cambio ſolvendo convenitur, qui inſtrumento circa ingreſſum ſocietatis confecto, ubi operam ſuam tantummodo pto certa mercede locatam eſſe monſtrat, ſe a ſolutione liberare vult: Sed creditores eum ex nexu dimittere nolunt ea de cauſſa, quod cum ſocietas utriusque nomine geſta, per ſeparationem obligatio in ſolidum ipſis acquiſita nequaquam extingueretur, nec ſera contractus ſibi plane ignoti exhibitio ſocium reddere poſſet immunem. (c) Neque iuvabit, pecuniam a ſocio mutuo acceptam in rem i. e. in ſocietatis incrementum haud eſſe verſam. (d) Id quod unico tantum exemplo illuſtrabimus: Titius mercator fato ſuo perfungitur, & relinquit tres haeredes, qui poſt ipſius obitum negotiationem a patre ſuſceptam continuant, ac de illo alios, quibuscum negotium habendum esſet, certiores faciunt: Sempronius, unus ex cohaeredibus ſubſcribit literas cambiales ita: B. Titii haeredes, cognominibus eorum omisſis. Sempronio e foro ceſſo contra reliquos haeredes agitur, qui licet ne nummulum quidem in ſuam ſocietatem receperint, tamen obſtringuntur. (e) Hoc in dubium vocari

poſſe

poſſe videtur, ex eo, quod in Ord. Iud. Mercat. Lipſ. (f) ita cautum fuit: *Nachdem auch öfftern geſchiehet, daß die Ausgeber der Wechſel-Brieffe, ſolche nicht mit ihren Tauff- und Zunahmen, ſondern blooß mit den Zunahmen, bevoraus, wenn in einer Handelung ſich unterſchiedene Conſorten befinden, oder als dieſes oder ienes Erben oder auff andere dergleichen Art und Weiſe zu unterſchreiben pflegen: So ſetzen und ordnen Wier hiemit, daß hinführo die Wechſel-Brieffe von denen Unſerigen, ſo ſie ausgegeben, mit ihren Tauff-und Zunahmen unterſchrieben werden, oder in Verbleibung deſſen daraus keine Execution-Klagen ſtatt haben ſollen.* Verum enim vero huius legis autoritate non omnes nec ubique tenentur, & magnæ inprimis ſocietates nominata ſubſcriptione rariſſime utuntur. (g)

(a) l. 63. ff. pro ſoc.
(b) l. 27. ff. pro ſoc.
(c) vid. KOENIG ad ord. Camb. Parere LXXIII. p. 785. ſqq.
(d) v. FELIC. de ſociet. c. XXX. n. 7. CARPZOV. P. II. Conſt. El. 17. def. 12. conf. BERGERI Reſp. P. II. Reſp. 240. p. 416

F (e) conf.

(e) Conf. Koenig. ad ord. camb. Parere XXVII, p. 690.

(f) Tit. XIII.

(g) Conf. Ius Camb. Avstr. art. VIII. Avgvst. Noviss. c. XIV.

§. XIX.

Qui exceptionibus nec ordinis neq. divisionis gaudent.

Sunt quaedam exceptiones, quae in mutua obligatione & contra actiones ex illa moras admittuntur, ficuti exceptiones excussionis & divisionis. Vtraque est beneficium iuris, & datur fideiussori contra creditorem, quo prius excutiat principalem debitorem eiusque haeredes; (a) & opponi potest, etiamsi fideiussor se obligaverit tanquam principalem debitorem. (b) Alterum dicitur divisionis & epistolae D. Hadriani, ac impedit, quo minus correi debendi ut confideiussores, singuli nisi pro rata sua tantum teneantur. Quemadmodum haec vero privilegia non ad omnes causas applicari possunt, ut v. g. in intercessione pro fisco, (c) itemque cum muliere facta: (d) Ita etiam socio contra tertium denegantur, eaque sententia in dicasteriis Lipsiensibus est jam pridem recepta, quorum varia responsa memorat Dn. Barth. (e) dissentienbus

tibus licet Vitebergensibus, qui l. 2. ff. de duobus reis inhaerent. (f) Ne autem dissertatio iustos excedat fines, gradum sisto & Te L. B. quam humanissime rogatum esse volo, ut in qualibet huius argumenti elaboratione acquiescas, & dubia mecum ea, quam expecto, humanitate communices, tuoque affectui atque benevolentiae me commendatum, & ad quaevis officiorum genera paratissimum habere velis. Vale. *Conclusio.*

(a) Auth. C. de fideiuss.
(b) P. II. constit El. Sax. XV. Eck. ad tit. de fideiuss. §. 27. Struv. Ex. XLVII. th. 43.
(c) Carpzov. P. II. Const. El. Sax. 18. def. 9.
(d) l. 48. pr. ff. de fideiuss.
(e) In Hodeg. for. cap. IV. p. 695.
(f) conf. D. Berger p. I. Resp. CCLXXVII. num. 2. Conf. Dn. Küstner d. menstr. & annal. praescript. liter. camb. §. XXXV. Itemque Dn Berger. Elect. proc. exec. thes. L. n. 2. p. 58. I d. Oecon. jur. Lib. IV. tit 30. thes. 4. n. 3. p. 1173. Dn. Io. Balthasar Wernher in Compend. iur. L. IV. tit. 29. §. 7. iung. Ord. Camb. Lips. §. XIII.

FINIS.

JOANN. PAVLLVS KRESS
J.V.D. ET P.P. ORDINIS JCTORVM
JAM DECANVS
CANDIDATO SVO
GEORG. GVIL. JOECHERO
PHILOSOPHIÆ M.
S. P. D.

NOn tantum in utroque examine, ſed præcipue ipſa a TE conſcripta eleganti diſſertatione ordini noſtro juridico TVAM in utroque jure ſcientiam ſatis & abunde probaſti. Inter cetera illud mihi

G oppido

oppido placuit, quod in ſeligendo argumento, quod reſponderes, non ſubtilitatem, curioſitatem aut raritatem, ſed utilitatem & in foro frequentiam ſpectaveris. Quænam enim hodie cautiones uſitatiores ſunt inter contrahentes, quam quod pecuniam ſuam ſecundum leges cambiales occupent. Et quænam quæſo lites jam tribunalia magis occupant quam quæ de cauſis cambialibus exſuſcitantur. Sane adeo ſe commendavit hominibus noſtris cambiale inſtitutum, quondam fere intra Italiæ fines, ut artis vocabula inde retenta hodienum docent, contentum, ut cum ante ſeculum ſcriptum Iureconſulti Germanici de cambiali negotio rariſſima avis

eſſet

esset in republica litteraria, jam nostra ætate jurisprudentia campsoria adeo aucta sit, ut e publicis librariorum tabernis facile integra bibliotheca in hoc argumento comparari possit.

TU in tanta copia auctorum egisti, quod prudentia jubebat, optimos scilicet selegisti & ex his rursus optima ad usus tuos separasti. Quo in dissertatione TUA tanquam in exacto compendio uno intuitu videre, & intelligere liceret, quæ alias hinc inde dispersa vix post magnum laborem perdiscere datum erat.

His omnibus haud gravatim ab ordine nostro impetrasti, vel rectius: apud illum meritus es, ut TIBI absque

que præside in publicum differendi potestatem fecerit. Quod jus singulare alias nec nisi præclaris ingeniis reservatur. Macte hac virtute, perge porro in præclaro, quod auspicatus es itinere, nec unquam deerunt, qui labores TVOS dignis præmiis sint pensaturi. Ita censeo, ita voveo & ita omnes rerum intelligentes mecum augurantur. Vale & ordinis nostri memor esto. Perscriptum Helmstadii A. MDCCXXV. die Octobr. XXX.

